

Magnitudo *Sap. cylindrica*, statura omnino & affinitas præcedentium. Caput totum nigrum subtiliter punctulatum pube tenui albida obsitum. Oculi emarginati, sed haud divisi. Antennæ basi nigrae — (in nostr. defectæ.) Thorax flavo-testaceus, certo situ subsericeus, carinula dorsali obsoleta, haud punctatus; scutellum breve concolor. Elytra ad basim thorace multo latiora, illoque triplo longiora posterius angustata, dorso plana, punctato-striata, lateribus deflexis, costa sat determinata ab humero incipiente usque ad apicem bidentatum producta, testacea, costa margineque posterius nigris, apice infuscato. Corpus subtus flavo-testaceum lave, sericeum, ano nigricante. Pedes corpori concolores tibiis posticis nigro-fuscis.

OBS. *Sap. japonica* Thunb. secundum descriptionem per brevem huic affinis videtur; figura vero non placet.

DALM.

257) **SAPERDA PRÆTEXTATA:** nigra, thorace brevi, medio luteo, punctis duobus nitidis nigris, elytris luteis, plaga suturali lata punctisque duobus humeri nigris.

Habitat in Tauriz graminosis in valle Sudak primo vere haud infrequens.

Statura & magnitudo *S. Lineolæ*, saepè etiam paullo major. Caput nigrum punctulatum, griseo-pubescentia, lineola media impressa, antennis longitudine corporis concoloribus. Thorax transversus parum convexus, pube longiori, sed vix punctatus; discus luteus punctis duobus nitidissimis nigris. Scutellum parvum nigrum pallido-pubescentia. Elytra basi thorace latiora, postice angustiora, apice oblique retusa, supra plana, lateribus reflexa, punctata, pube brevissima grisecente; lutea, sutura fere ad apicem usque late nigra, puncto nigro in ipso humero alteroque paullo infra juxta marginem. Totum corpus subtus nigrum, cinereo-pubescentia. Tibiae mediæ ut in pluribus congeneribus leviter excise.

STEVEN.

258) **SAPERDA LEUCASPIA:** thorace sub-cylindrico, cyanea, punctatissima, pedore utrinque maculis tribus scutelloque albis.

Habitat in Caucaso cisalpino.

Statura *S. violacea* & magnitudine variat sicut hæc. Frons admodum reflexa, linea media impressa, pube